

V C
2930



24, 21. Q. XXIV, 21.

Vc
2930

Oratio funebris
DE
ILLVSTRISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO,
DN. AVGVSTO, DVCE
ac Electore Saxonix, &c.



HABITA IN EXAMINE
ALVMNORVM LVDI PROVINCIALIS
ad Muldam, XIII. Martij,

A
Iacobo Furmano R.

18

ANNO M. D. LXXXVI.

23 f

520



Oratio funebris

DE

HELLASIRISSIMO

TRINCIPIS AC DOMINI

FRANCISCAVI, D. V. G. E.

et Electoris Saxonis, &c.



M A R T I N I A N I

ALTIORVM VBI PROVINCIAS

ad Juliam, XIII Martij

Jacobo Furmanio R.

Anno M. D. LXXVII



ILLVSTRISSIMO, PO-
TENTISSIMOQVE PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO CHRISTIANO,
Electori Saxoniae, &c. Domino suo
clementissimo.

DVX AVGVSTIADE, patria spes altera terra,
Inclyta Saxonica fama decusq; domus:
Aggredere o felix nunc Electoris honores,
Et cape, qua summus regna dat ipse DEVS.
Te patris AVGVSTI celebris super aethera virtus
Excitet, & proauum nomina magna ducum.
Sit tibi pax cura, fuge bella, fuge horrida bella,
Quae damnum terris exitiumq; ferunt.
Inprimis sed ama CHRISTVM, de nomine cuius
Nomen habes, Princeps o generose, tuum.
Et quando vacat, hunc inter molimina rerum,
Quae te magna tenent, respice quæso gregem.
Et tutare scholam, qua te iam pendet ab vno,
Auxiliumq; tuum supplice voce rogat.
Tu sis praesidium doctæ & tutela Mineruæ:
Ne nos desertos ne tua dextra sinat.
Sic te Christus amet, proq; hoc te munere summa,
Dux AVGVSTIADE, prosperitate beet.

Illustris. Celsitudinis
Tuæ subiectis.

Jacobus Furmanus
R.

A 2

ORA-

ORATIO.



ONSTITVTVM EST de scholæ huius consuetudine, vt statis anni temporibus examina duo instituantur, in quibus discipulorum in literis profectus perspiciantur, & qui sese diligentia probent, ad ordines superiores traducantur. Quæ quidem exercitatio quantum commodi discentibus afferat, præsentis quidem instituti non est, vt à me multis commemoretur. Quare volens narratione ista supersedeo. Hoc quidem omnino constat, vt totius rei summam paucissimis cõprehendam, ad discipulos redire emolumentum, ad præceptores verò molestias, quas ipsis gignit non paucorum, leuiter studia attingentium, socordia atq; desidia: quæ deuorandæ tamen nobis sunt, modò vestris studijs consulatur. Antè verò, quàm ad probationem ipsam & censuram accedamus, visum nobis fuit ab oratione, breui illa quidem & tenui, sed huic tamen & tempori & loco, vt opinor, conueniente, initium facere. Dicendi enim materiem suppeditare nobis videtur hodiernus dies, quo Illustriss. Princeps ac Dominus, Dn. AVGVSTVS, Dux Saxonix, & CR. Imper. Septemuir, Fribergam ad sepulturam deportatur. Cuius morte cùm nemo bonus non afficiatur, & in luctu iaceat, nos quoque decet alumnos ipsius, vt & ipsi, doloris indicium edendo, mœrorem nostrum declaremus, & sanctis manibus, si non pro dignitate, at pro parte nostra tenui,
& in-

& ingenij mediocritate, iusta faciamus. Postulant enim hoc qualecunq; officium nostrum defuncti Principis erga nos merita, vt grata recordatione memoriam illius prosequamur. Offeruntur autem hinc multa sanè, quæ & de antiquissima Saxoniae ducum origine, & de ingenij corporisq; eximijs dotibus, & de virtutibus Electoris nostri excellentissimis non incommodè recenseri fortassè possent. Verùm, cum latissimè ea pateant, & intelligentiam meam tantarum rerum explicatio superet, eloquentiamq; non vulgarem requirat, hæc relinquo. Talis enim ac tantus Princeps extitit **AUGUSTVS**, vt orationis meæ paupertate ne minimam quidem partem laudum ipsius consequi possim. Quare omissis illis difficilioribus, captumq; meum excedentibus, summa sequar fastigia rerum, & dicam tantùm de beneficijs, & meritis quibusdam præcipuis, quibus patriam, Ecclesiam, scholasq;, & imprimis hanc prouincialem Grimmensem cumulauit, & suam erga omnes subditos charitatem probauit. Neq; hinc tamen exquisitè omnia persequar, sed ea tantùm exponam, quæ ante oculos sunt, & scire vniuersos decet: idq; eò faciam, vt nostram, quemadmodum modò dictum est, erga optimum Principem pietatem ostendamus, & ad communem luctum, nec non preces nosmet ipsi excitemus. Qua de re breuiter pronunciantem vt benignè me audiatis, à vobis, Collegæ obseruandi, officiosè peto: spero item, discipulos aures mihi beneuolas, & attentas præbituros esse.

EX HAC vita mortali Calendis Octobribus anni superioris decessit inclyta heroina **ANNA**, regia stirpe nata, Illustris. Electoris coniunx, cuius exequiæ

hoc quidem in oppido, vt noctis, celebratae sunt die,
postquam defuncta est, octauo. Eius ex morte quan-
tum doloris luctusque ceperint hae regiones, in re-
centi adhuc habemus memoria. Verum nulla cala-
mitas sola, habet tritum sermone prouerbum. Nam
licet vulnus illud aliqua ex parte coaluisse videretur,
collocata in matrimonium Electori viduo moestissi-
mo inclyta Principe Agnete Heduuige, Ioachimi Er-
nesti, generosissimi Principis, Ducis Anhaltini filia:
tamen nunc recrudescit, propter ipsius Septemui-
ri ex hac vita exitum. Itaque dolores refricantur, &
solicitudines duplicantur, & ad maiorem moesticiam
subditi reuocantur. Et certe quidem si vllum vnquam
tempus miserum & calamitosum incidit, hoc iam ma-
ximè luctuosum, summeque miserandum est. Nam
eiusmodi bonum amissum est, quod nulla vnquam
aetas restituet. Quis non doleat, quis non toto pe-
ctore consternetur, quis sibi à lacrymis temperet?
Quod si quis hoc casu non tangatur, in vtramq; aurem
ociosè dormiens, & non magis moueatur, quam si du-
ra filex, aut stet Marpesia cautes: is omnis humanita-
tis expers esse, & naturam ferinam maximè attingere
videtur. Orbati sumus, proh dolor, Principe opti-
mo, patre patriae, scholarum, & Ecclesiarum nutri-
tore. O rerum humanarum fragilitatem, fortunæq;
varietatem, o mortis saeuiciam & importunitatem,
quæ nulli hominum parcit, & æquo pulsat pede pau-
perum tabernas, regumq; tures, vt canit Horatius:
atq; adeò optima quæq; rapit, deteriora verò relin-
quit. Atque vt planum & perspicuum nobis fiat, qua-
lem Principem amiserimus, agite paulò altius amo-
rem & beneficia illius erga patriam collata confide-
remus.

remus. Reliquit HENRICVS Alberti F. Princeps
Saxoniae laudatissimus duos praestantissimos filios,
MAVRICIVM & AVGVSTVM, alterum belli-
ca laude, alterum toga clarissimum. Posteaquam ve-
rò Mauricius heros fortissimus, pro aris, vt dicitur,
focisq; fortiter dimicans, & à patria manifestam vim
propulsans, suam in terris vitam clausit, & in beato-
rum consortiùm receptus est: AVGVSTO fratri ha-
rum regionum gubernationem, & Septemviralem
sacri Imperij Rom. dignitatem reliquit. Quam qui-
dem honoris possessionem tum virtute sua tueri, tum
ornare etiam, & augere pro virili AVGVSTVS
studuit, in eamque cogitationem ac curam totus in-
cubuit, vt Reipub. status labefactatus & conuulsus
sanaretur. Ac licet in initio turbulenta ei multa ob-
ijcerentur, quæ bellum minitabantur, sanguinemque
spirabant, tamen autoritate sua, qua valuit plurimū,
eò rem deduxit, vt omnes seditiones, & discordiæ
celeriter comprimerentur, & de manibus hostium ar-
ma delapsa caderent, omniumque tumultuum reli-
quæ spontè extinguerentur. Itaque cuncta ab eo ita
composita fuere, vt perpetua in pace deinceps viue-
ret, & sua pacatè possideret, nulla hostium incurso-
ne vexatus. Quòd certè in summa felicitate ponen-
dum est. Quid enim in hac vita iucundius, quid opta-
tius, quid generi humano salutarius accidere potest,
quàm pax, quàm concordia, quàm ocium? Pax
optima rerum, quas homini nouisse datum est, ca-
nit poëta. Pax cum geritur, salua sunt, & bene sese
habent omnia. Nam & pietas colitur, & iusticia ex-
ercetur, & publicæ res florent, & domesticæ crescunt.
At verò inter arma leges silent, res & publicæ & pri-
uatae

uatae affliguntur, regiones vastantur, populi caduntur, vrbes in seruitutem mittuntur, ciues trucidantur, & quasi flammis vruntur & consumuntur omnia. Quamobrem M. Cicero iniquissimam etiam pacem recte antefert iustissimo bello, quod nunquam, nisi maxima cum aliorum clade, suscipitur. Quanquam autem Princeps noster singulari animi magnitudine ac robore excelleret, ita ut nullis minis moueretur, & ad quosuis labores suscipiendos, periculaque adeunda paratus esset, atque adeo vitam suam saluti communi postponeret: tamen pro ea, qua praeditus fuit, moderatione ac prudentia, pacis autor semper extitit, & omnia prius, quam armis, experiri maluit, & non nisi coactus ad bellum profectus est. Nec vero minus clarus & fortis extitit, ac si perpetuo in armis vixisset. Neque enim in bellis modo, sed etiam in Reipub. administranda animi excelsi praestantia cernitur. Quapropter libro de officijs primo Cicero domesticas fortitudines, siue res urbanas militaribus ac bellicis pares esse, adeoque maiores interdum clarioresque fuisse ostendit, quod quidem non tantum subiectis rationibus & argumentis, verum etiam appositione exemplorum tum Graecorum, tum Romanorum illustrat & confirmat. Quae doctrina cum non ita pridem, ut meministis, a nobis explicata sit, non est necesse, ut plura huc accersantur. Vestrum erit, discipuli qui estis, ut ipsi ad Ciceronem recurratis, & quae ab eo copiose, & luculenter eo in loco differuntur repetatis, & in memoriam reuocetis. Quod vero ille de sui seculi praestantissimis viris gloriatur, id de nostro quoque Principe clarissimo recte praedicari potest, non minorem utilitatem

Reipub-

Reipublicæ togatum eum attulisse, quàm alium quem-
uis, qui bella gessit. Quis gubernationem illius om-
nibus triumphis anteferri posse non videt? ô pacifi-
cum, felicemque Principem: ô fortunatos subditos.
Talia olim secula fuerant, regnante Octauio Augusto
II. Romanorum Imperatore, cuius cum administra-
tione nostri septemviri gubernatio magnam similitu-
dinem habere videtur, propter prosperam rerum om-
nium successum ac felicitatem, otijq; diuturni tran-
quillitatem. Vt enim ille pacem terris restituit, cum
antea non solùm externis, sed etiam ciuilibus bellis,
ac dissensionibus intestinis orbis terrarum arderet:
ita noster AVGVSTVS gratam his regionibus quie-
tem peperit. Verùm Imperatore tamen illo longè
felicior fuit, propter Christi cognitionem, qua ille
caruit. Nam licet omnium maximum in terris mira-
culum, Octauio Imperante, acciderit, cum nimirum
Filius Dei carne nostra indutus, ex virgine nascere-
tur, & quidem, vt de æterni Dei voluntate, & Pro-
phetarum vaticinatione, nullibi nisi Bethlehemæ nas-
ceretur, in causa fuerit tributi iniqua exactio & so-
lutio: tamen inscius ille tutum cœli terræque regi-
domicilium præstitit, & creatorem ac Dominum
suum non agnouit. Sed quoniam, vt diximus, pa-
cis studiosissimus fuit AVGVSTVS Princeps, libet
subijcere Adami Siberi Epigramma, quo pacis amo-
rem & studium in eo maximè celebrat. Quod quia
Iohanni Stigelio, viro & Poëtæ optimo adeo pla-
cuisse accepimus, vt honorificam illius mentionem
crebrò fecerit, ea in spe sumus, fore, vti, cum Si-
beri nomen meritò nobis omnibus gratissimum adeo-
que sanctissimum esse debeat, carmen illud quoque

B

non

non ingratum sit futurum. Id autem ita sese habet :

*Pacis amans Deus est, pacis veneremur amantem,
Ut nostros leta pace serenet agros.*

*Bella diu viguere nimis : nunc impia duri
Inquinet annosus militis arma situs.*

*Tu quoq; Dux imitare tuos AVGVSTE parentes,
Quos leuat atherco candida fama polo :*

*Flebile Martis opus, crudeliaq; arma perosus,
Quod facis, augustæ sit tibi pacis amor.*

*Astyagis cadit ense nepos : vastator Olynthi
Ipse domus in se concitat arma sua :*

*Augusto Aemathius iuuenis, qui limite mundi
Aestuat, insidijs tetra venena bibit.*

*Pax quibus est cordi, placidè moriuntur : at arma
Quos violenta iuuant, mors violenta rapit.*

Neq; verò tantum Elector in eo laboravit, vt inter homines iusticiæ locus esset, & in pace vitam agerent subditi, & quàm maximè ciuitates flourerent : Sed maxima ei, & quidem potissima cura fuit, vt æternæ animarum salutis ratio haberetur. Quanta hic sese ostenderit nobis Dei præpotentis erga nos clementia, & charitas, nulla orationis copia exponi potest, qui vltimis temporibus Germaniam quoq; & inprimis has terras, Euangelij face accensa, è tenebris pontificijs in lucem vocauit, & corda Principum Spiritus sui gratia collustravit, vt veritatem cœlestem agnoscerent. In quorum numero præcipui fuerunt Saxonix Duces, omni laude dignissimi, Electoris nostri maiores, qui, patefacta pontificum Romanorum fraude, ex cæteris ducibus primi incorruptam Euangelij doctrinam amplexi & tutati sunt. Quis animi ipsorum altitudinem, & constantiam non admiretur,
cum,

cum infaniente diabolo, mundo ira excandescente,
pontificia cohorte terram coelo miscere conante, &
omnibus deniq; hostibus tumultuantibus, fortiter in
vera doctrinae sacrae sententia perseuerarent, & quam
de veritate coelesti deflecterent, vitam pro ea poti-
us profunderent non dubitarent. Quis incitatum ho-
stium potentissimorum furorem, & rabiem diuinitus
fractam & sedatam neget? quis Principes à DEO ipso
defensos, ac seruatos esse non videt? Nam absq; eius
protectione si fuisset, non aliter, atq; oues à lupis fa-
melicis, consumti fuissent: Excitauit autem simul DE-
VS ad hoc opus viros pietate doctrinaq; praestantes,
in quibus antesignanus quasi & dux fuit Martinus
Lutherus, qui spiritu Dei ductus, intrepide suam con-
fessionem edidit, & primus obstitit furori pontifi-
cum, & qua merfi antea eramus, caliginem detexit,
condonationemq; peccatorum, & vitam sempiter-
nam adipisci nos docuit, non nostris meritis, non
pecunia comparatis diplomatis, quas vulgò indul-
gentias vocarunt, aut alijs eiusdem generis ineptijs,
sed solius Filij Dei obedientia & merito, cuius vnus
sanguis in ara crucis pro nobis effusus, ab omnibus
nos peccatis emundat, vt loquitur Apostolus. Hæc
doctrina sacrarum literarum testimonijs innixa, con-
solationem leuationemq; affert mentibus, animi an-
gore, & cruciatu conflictantibus. Hæc Lutheri mini-
sterio nobis restituta, ingratis & inuitis omnibus ad-
uersarijs, longe lateq; propagata est, & ad verum
Dei cultum multas nationes ac populos conuertit.
Eadem hac doctrina, & religione per manus quasi
ab HENRICO patre, & fratre MAVRICIO PRR.
CL^{is} tradita & accepta AVGVSTVS imbutus, nihil
B 2 prius,



prius, nec antiquius habuit. Quantopere enim pro ea sollicitus fuerit quantasq; curas gesserit, in propatulo est. Nam non solum toto pectore eam amplexus est ipse, & morum sanctitate expressit, sed in ditio- ne etiam sua sincerè ipsam doceri, & Ecclesijs ido- neos doctores præfici voluit, qui rerum diuinarum cognitione instructi, verbum DEI sacrosanctum, sine alfitatis admixtione, populo proponerent, & æter- næ salutis autorem solum I E S V M C H R I S T V M monstrarent. Atque, vt omnia ordine, ac decenter in Christianorum societate de doctrina Apostoli per- agerentur, tribus in oppidis senatum Ecclesiasticum constituit, in quem Theologi pariter ac Politici, pie- tate sapientiaque viri celebres leguntur. His omni- um Ecclesiarum inspectio, de doctrina & ceremonijs diuinis iudicium, Pastorum electio & confirmatio, in vitam ac mores ipsorum inquisitio, cognitio de dogmatibus ac hæresibus, Ecclesiasticarum contro- uersiarum explicatio, & causarum ad matrimonium pertinentium compositio commissa, ac credita est. Constitutum porro est, vt Ecclesiarum antistites in oppidis, quos vulgò Superintendentes nominant, in sua quisque diœcesi, respectum haberent ad eos, qui in vicinis pagis atque oppidulis docent, &, si quid ab his decidi non posset, ad Ephoros perferretur, qui in Consistorio causas disceptationesque excuti- unt, & explicant. Constitutum denique est, vt cer- to anni tempore Synodus in vrbe Dresda, semel qui- dem vere, & iterum autumnò congregaretur, in qua omnia ea, quæ vel in scholis, vel in Ecclesijs contro- uersa sunt, examinarentur. Quod si prauorum dog- matum autores, ouile I E S V C H R I S T I infestan- tes, exo-

tes, exoriri animaduertit, tum verò nullis sumtibus
pepercit, nihilque intermisit eorum, quæ ad Ecclesiæ
commoda spectare visa sunt. Nec quieuit ante, quàm
vt, conuocatis sacrarum literarum interpretibus ac
consultis, de negotio religionis sermones confer-
rentur, dogmatum obscuriorum nebulæ luce verita-
tis coelestis discuterentur, lites scripturæ autoritate
dirimerentur, obtrektorum conatibus obuiam ire-
tur, errores turbulenti ex norma verbi diuini dijudi-
carentur, cognitiq; reijcerentur, inq; opinionum
varietate verum inuestigaretur, & constituta concor-
dia sine contentionibus viueretur. Itaque principijs
obstans, ne corruptelæ latius serperent, & dissemi-
narentur, animosq; simplicium occuparent, omni
ratione prohibuit. Libet hîc commemorare, quæ
x i. Cal. Iunias anni septuagesimi secundi ad Sibe-
rum nostrum, & cæteros præceptores perscripta sunt.
Ea tempestate doctrinæ quasi mutatio quædam fieri,
& Dipnosophistæ pestiferum suum virus primum
spargere, & in animos auditorum insinuare cœpe-
runt. Et edita tum sunt noua doctrinæ Christianæ
elementa, & alia etiam nonnulla scripta cum Augu-
stana Confessione quibusdam in capitibus pugnan-
tia. At cum Sapientissimus Princeps monstri aliquid
eiusmodi librorum editione ali intelligeret, & me-
tueret, ne temporis progressu doctrina in Augustana
Confessione comprehensa, è scholis & templis elimi-
naretur, & exularet: præceptores huius scholæ illu-
stris per literas cohortatus est, vt sibi ab eiusmodi
scriptis cauerent, in quibus perniciosus error de cœ-
na Domini occultatus delitesceret, & vt non modò
Philippi Melanthonis, sed etiam sanctissimi viri Mar-
tini Lu-

mini Lutheri lucubrationes diligenter legēdo euoluerent, puericiæque inculcarent, & imprimis, ne quem alium quàm Lutheri Catechismum vnà cum Philippi Examine discipulis ad ediscendum proponerent, nec vllō modo novos libros de religione suspectos obtrudi sibi paterentur. Quæ paterna Illustrissimi Principis admonitio sæpè nobis repetenda, diligenter custodienda, & pectoribus nostris planè infigenda est. Quid verò dicam de nupera illa beneficentia, qua clementissimè prospexit, vt, si qui vel propter doctrinæ cœlestis confessionem exterminati, & in exilium eiectione essent, vel ætatis ingrauescentis vicio, valetudinifue, quæ senectutem comitatur, imbecillitate impediti, officij sui muneri præesse amplius non possent, victus illis ad vitam suppeteret? Neque hoc tantum, sed decreuit etiam, vt cum ij, qui docendo alijs inseruiunt, res interim suas plerunq; negligant, & tenuioris afflictiorisque sint fortunæ (nec enim decet, vt ex doctrinæ tractatione quisquam suum commodum quærat, & turpi lucro inhiet) post mortem ipsorum viduis, ac orphanis eleemosyna liberalis ad sustentationem distribueretur. Atque in talium indigentium vsum quotannis quinque millia aureorum consecrata diuiduntur. O factum, omnium seculorum & gentium memoria dignissimum, quod vel solum immortalem nominis gloriam, & laudem sempiternam Principi comparare posset. O liberalissimum Ducem, qui verissimè ex eorum numero est, quos miseræ & afflictæ Ecclesiæ nutricios futuros esse per Prophetam **D E V S** promisit. Et certè quidem si facta ipsius animis nostris contemplamur, vt in Reipub. administratione rectè cum Augusto

gusto

gusto Cæsare; quemadmodum paulo ante ostensum
est, comparatur: ita in rerum diuinarum procuratio-
ne non indignè cum optimis quibusque Israëlitarum
ducibus, ac regibus Christianis conferri posse vide-
tur. Atque, vt ex omnibus exemplis, quorum sacræ
literæ meminerunt, vnum solummodo proferam, an
non in plurimis rebus I O S I A M, gentis Iudaicæ re-
gem, imitatus est, quo post Dauidem prouincia illa
nec meliorem, nec sanctiorem gubernatorem habuit.
Is enim, quòd diuini numinis obseruans, & idolola-
triæ, superstitionisque hostis esset acerrimus, sacra
peregrina abrogauit, templum ab antecessoribus re-
gibus contaminatum purgauit, aras commentitijs
numinibus consecratas euertit, pentateuchon ab
Helcia summo sacerdote inter parietinas templi re-
pertum publicauit, in lege diuina rectè erudiri popu-
lum curauit, ad templi ædificationem necessaria co-
piosè suppeditauit, & neque ad dextram, nec ad si-
nistram flectendo, Dauidem generis sui Principem
æmulatus est. Has virtutes si animo & cogitatio-
ne complectemur, in nostro quoque heroë sanctif-
simo fuisse reperiemus. Quid enim, an non is quo-
que religionis Christianæ propugnator, ac veritatis
cœlestis assertor, & gloriæ ac maiestatis I E S V C H R I-
S T I vindex fuit iustissimus? Sed longiore oratione
non vtar, in commendando optimi Principis studio,
quod præstitit maximum maximeque salutare, in tu-
enda, conseruandaque doctrinæ cœlestis puritate.
Quid enim verbis opus est, vbi res loquitur ipsa?
Quod verò de cura illius erga Ecclesiam dictum est,
idem de scholis intelligendum est, quæ ab Ecclesia
seungi nec possunt, nec debent. Atque vt silentio
iam

iam prætereamus, quibus beneficijs scholas omnes,
& imprimis Academias ornauerit atque auxerit, agi-
te oculos & mentem in hunc modo ludum prouin-
cialem conuertamus, & diligenter cum animis no-
stris liberalitatis illustrissimæ beneficia perpendamus.
Vsa est hæc schola præ cæteris duabus illustribus, quæ
plerunque meliore conditione fuerunt, quam qui-
dem felicitatem nequaquam tamen ipsis inuideo, sed
gratulor potius, & ex animo precor, vt perpetuò flo-
reant, nec vnquam eandem fortunæ aduersitatem
experiantur: vsa est, inquam, singulari fato, & præ-
cipua quadam fortuna, eoque miseriarum superiori-
bus annis redacta erat, vt earum rerum premeretur
inopia, sine quibus ægrè, vel nullo potius modo
viuitur. In agris erat vastitas, in granarijs solitudo,
in cella penaria penuria, & quocunque aspiceres,
inanitas erat, eoque loco res omnes positæ erant, vt
de nobis actum esse arbitraremur. Sed nec dum ca-
lamitatum omnium finis erat. Accessit illud quoque
malum, vt, rebus in discrimen ita adductis, Adamus
Siberus, Rector huius ludi incomparabilis, præce-
ptor, & focer meus perpetuò colendus, cuius ver-
sus supra recitauimus, cum scholæ vicem ita doleret,
miseriasque eius deploraret, paulò post ipse nobis
eriperetur, eo quidem tempore, quo operam illius,
& consilium hæc schola maximè desiderabat. Sed
quorsum spectat isthæc narratio & querela? Eò scili-
cet, vt amplior illustriorque reddatur benignissimi
erga nos Electoris munificentia. Is enim, cognita no-
stra indigentia, beneficentiam suam in nos minimè
clausit, sed laborantes & labantes res subleuauit, &
ad rei domesticæ instaurationem mille & quingen-
tos au-

ros aureos largitus est. Hoc beneficium cum tantum fit, vt verbis celebrari satis non possit, grata saltem mente agnoscam⁹, nec vnquam ex animo nostro elabi patiamur, & ne munifica illa liberalitas denuò pereat, (nescio enim quid scholæ adhuc metuum) omnibus precibus à Deo cõtendamus. In eo enim omnes neruos contendit Satanus, capitali odio à Deo conditore, & hominibus Dei metuentibus dissidens, adeoq; obnixè manibus pedibusq; facit omnia, vt scholæ dissipentur, lacerentur, euertantur, vastentur & spolientur. Quare suos per administratos & vicarios calumnijs, conuitijsq; eas deformat, & omnibus iniurijs afficit. Sed nunc, proh dolor, tam liberalis Princeps, & patronus summus diem suum obiit, cuius corpus hodierno die Dresda elatum Fribergam ducitur, vt ibi in patrium monumentum condatur. O triste spectaculum. Quæ verò orationis copia dolorem istum enarrare potest? Ad eius exequias cohonestandas conuenerunt multi Germaniæ Principes & Comites, vna cum Illustrissimo Principe Christiano AVGVSTI F. funeri operam dantes: quos sequuntur Optimates & flos nobilitatis, qui omnes tam nobile membrum, ab imperio Romano auulsum, acerbissimè dolent. Sed nec proceres tantùm veste lugubri conspiciuntur, & in mœrore sunt, sed etiam omnes omnium ordinum homines in luctu & squalore iacent, & non tam Principem, quàm patrem patriæ mortuum lamentantur, non ipsius quidem, sed nostra causa, qui superstites sumus. Nam ad Electorem quod attinet, pro certo habemus, ex omnibus eum miserijs, grauissimisq; vitæ laboribus liberatum esse, animamq; ipsius corporis vinculis solutam, in
C beatif-

beatissimam vitam commigrasse, ocioq; iam frui iucundissimo, & gloriosam expectare resurrectionem, qua iterum corpori copulata, ad vitam immortalem, eamq; bonis, ac gaudijs omnibus circumfluentem, reuocetur. Nec si optio ei detur, rediturum eum ad nos esse, etiamsi totius mundi administratio committatur. Et quis enim in hanc miseram, & ærumnarum, incommodorumq; plenissimam vitam reuertatur, in concilio cœlestium collocatus, bonisq; infinitis cumulatus? Quare nihil illi mali contigit, nobis accidit, & absq; dubio, quæ DEVS auertat, impendent pericula. Cum enim è medio tolluntur præstantes heroës, plerunq; magnarum calamitatum acerbitas imminet: id quod tum alijs multis, tum ipsius Iosifæ regis, cuius paulò antè meminimus, exemplo planum fieri, & demonstrari potest, cuius obitum quæ mala secuta sint, regum Israëlitarum ac Iudæorum docet historia. Et quidem iam diu iustissimam DEI iram commeriti sumus, propter verbi diuini, quod in fastidio iam ubiq; est, contemtionem, & propter vitæ nostræ impietatem. Quotus enim quisq; iam est, qui voci cœlesti obtemperet, & beneficia DEI celebret? Videmus certè vulgò fieri, vt in omnibus sceleribus pleriq; volutati, in diem viuant, noctes diesq; helluationibus studeant, luxuria diffluant, nomen Dei cum vanitate vsurpent, diris atq; execrationibus sese, & alios deuoeant, opes alienas sitiunt, fraudent, decipiant: & quis omnia corruptissimi huius temporis vicia enumerare potest? Ex his verò malis quid tandem futurum sit, ratiocinando colligi fortasse potest. Videntur certè extrema quæque nos manere. Vt autem ex malis, est poenis imminetibus

uentibus elabamur, nostrum est, vt à prauitate vitæ
ad studium pietatis conuersi, naturæ nostræ viciosi-
tatem agnoscamus, & delicta detestemur, vitam mo-
resq; corrigamus, pacem Deo irato ex manibus qua-
si extorqueamus, suppliciterque rogemus, vt, Filij
sui Seruatoris nostri vnici ergò, nostri misereatur,
transgressiones, ac peccata nobis condonet, suamq;
gratiam largiatur, quò in sanctitate vitæ deinceps
ambulemus. Nam si vnquam precibus opus fuit,
iam certè maximè orare debemus. Habet enim Ec-
clesia hostes plurimos, qui Illustrissimi septemuiri
morte non modò non afficiuntur, sed sine dubitatio-
ne lætantur, & certam sibi victoriam ac triumphum,
eo iam sublato, de nobis promittunt, quorum calli-
da consilia, machinationes, insidias, technasq; in
nostram perniciem compositas, mutari, eludi, con-
fringi, & confundi, à Deo vnico in rebus aduersis
auxiliatore petamus. Et cernimus quidem his ipsis
in ærumnis, quibus iam accipimur, Dei optimi bo-
nitatem, qui AVGVSTO largitus est filium CHRIS-
TIANVM, maturum imperio, consilioq; promptum,
& tractandæ Reip. gnarum ac scientem, qui ab hinc
quadriennio in matrimonium duxit inclitam Princi-
pem Sophiam, illustrissimi Principis Iohannis Ge-
orgij, Electoris ac Marchionis Brandenburgensis fili-
am, ex qua duos filios Christianum Augustum, &
Iohannem Georgium, & vnã filiam suscepit, de qui-
bus superstites filios generosissimos, ~~quos liberos~~
Deus pro clementissima sua voluntate quàm diutif-
simè saluos, & incolumes conseruet. De eo verò
Christiano Principe optima quæq; sibi hæ regiones
pollicentur. Nam & à natura bene informatus, & ita

in prima ætate institutus est, vt omnia summa ab eo expectari debeant. Quid? quod iam diu patrijs vestigijs ingressus, suam in negociorum difficiliorum explicatione dexteritatem, atq; ingenij acumen probavit. Huic Christiano Electoris dignitatem patria gratulatur: hunc subditi Dominum agnoscunt, & libentissimi animis sese imperio illius subiiciunt: huic salutem incolumitatemq; suam pijs precibus Ecclesia & scholæ commendant: huic noster etiam coetus sese in clientelam dicat. Quare in ipsa etiam doloris acerbitate adhuc habemus, quod gaudeamus, intuentes generosissimum Principem CHRISTIANVM, regni successorem, & paternæ virtutis ac gloriæ hæredem, factorumq; illius imitorem: ex cuius vita tantum solatij capimus, quantum ex obitu patris allatum nobis doloris est. Hac consolatione reficiamur ac recreemur, æternamq; simul de mortui Principis Augusti, præclarissime de his terris meriti, memoriam conseruemus, & veteres Germanos imitemur, qui, vt Cornelius Tacitus in libello de ipsorum moribus scribit, lamenta & lacrymas citò, dolorem ac tristitiam tardè ponunt. Fæminis lugere honestum est, viris meminisse. Hortor verò vos, Discipuli, vt, quorum ea est facultas, in Principis clementissimi nutricij nostri obitum, versus aliquot grati animi memoriæ ergò conficiatis, quod officij antea mortuæ illustrissimæ Heroinæ D. Annæ, coniugi ipsius nonnulli vestrum præstitistis. Nos inter occupationes, pro re nata, epitaphium conscripsimus, quod recitabimus.

Memor.

MEMORIAE ILLVSTRISSIMI

PRINCIPIS AVGVSTI, DVCCIS SAXO-
niae, & CR. Imp. VII viri, PP.

Avgustus iacet hic, oculus Germanidos ora,
Gloria septem inter famaq; summa viros.
Teutona quem raptum deplorat funere tellus,
Et patria luget Misnias orba patrem.
Flet pietas, mæretq; fides, & veste nigella
Principis ad tumultum pax sedet alma sui.
Occidit heu Princeps sanctissimus: ô mala fata,
Quæ tantum nobis eripuerunt ducem.

Sed hic finis nostræ orationis esto.

TE VERO SEMPITERNE DEVS, PATER
Domini ac Seruatoris nostri Iesu Christi toto pe-
ctore precamur, ne offensus peccatis nostris, pro eo
ac meriti sumus, nobiscum agas, sed in iustissima ira
tua interminatæ clementiæ memor sis. Conserua no-
bis verbum tuum, & mysteria sacrosancta, & à cor-
ruptelis nos custodi. Inprimis Spiritu tuo sancto cor,
& mentem Illustrissimi Principis Christiani, Electoris
noui, rege & gubernas, vt ea ante omnia spectet, quæ
ad nominis tui sanctissimi gloriam, & Reip. Christia-
næ incrementum, & vtilitatem faciant. Da pacem
terris, vt quietam, & tranquillam sub eo vitam aga-
mus, cum omni pietate, & grauitate. Bellaverò,
tumultus, seditiones, & alia, quæ impendent, in-
commoda benignè auerte, & consilia eorum, qui ar-
mis delectantur, impedi. Sed & scholam hanc pro-
uincialem clementer respice, benedic laboribus no-
stris, & fac, vt omnes actiones nostræ tibi seruiant,

& ita sese quisque in delegato sibi officio gerat, ut
inculpatus reperiatur, & fidem, ac bonam conscien-
tiam ad Deum retineat: & tandem, exacto huius vi-
tae curriculo, ab beatissimam regni tui lucem creden-
tes transfer, idque facias per & propter Filium tuum
IESVM CHRISTVM, Dominum & Redemptorem
nostrum vnicum, cui tecum, & cum Spiritu San-
cto laus sit, maiestas ac gloria in omnem
seculorum perennitatem,

AMEN.

V.C. 7930
DIXI.



LIPSIÆ,
IMPRIMEBAT IOHANNES
STEINMANN.

Anno M. D. LXXVI.

nc

(X220 5749)



24, 21. QN.

ILL
PRIN
D N.

H A B I
ALVMN

A N

Vc
2930

MO
INO,
CE

NE
LIS

18

520

